



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Horis Canonicis Juxta Rubricas Breviarii Romani ritè recitandis - In qua etiam ipsæ Rubricæ Notis brevibus illustratæ, & Martyrologij Romani nomina suis Accentibus signata continentur, Ad Faciliorem Discentium Vsvm Ac Praxin

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1676

Tit. XXXVI. De Antiphonis B. Mariæ in fine Officij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48333](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48333)

trono vel Titulo Ecclesiæ, ante vel post commemorationem de S. MARIA & de Apostolis pro dignitate illius, ita tamen ut semper ultimo ponatur commemoratio de Pace. Et ante illas in Feriali Officio fit commemoratio de Cruce, quæ habetur in Psalterio post Laudes Feriæ secundæ.

G. Sic dictæ, quia communes sunt pluribus diebus, cum commemorationes speciales uno duntaxat die fiant.

II. Tempore Paschali fit alia commemoratio de Cruce, ut ibi ponitur in Laudibus Feriæ secundæ post Dominicam in Albis, & ea solùm tunc dicitur; non tamen in Duplicibus, neque infra Octavas.

III. Si facienda fit commemoratio alicujus Festi occurrentis, semper fit ante ipsa Suffragia consueta, etiam ante commemorationem de Cruce.

IV. Commemoratio de S. MARIA non fit cum alijs, quando dicitur ejus Officium parvum, nec quodcumque fit Officium de ea.

TITULUS XXXVI.

DE ANTIPHONIS B. MARIE

in fine Officij.

I. **A**ntiphonæ B. MARIE positæ in fine Psalterij post Completorium, singulæ dicuntur pro temporis diversitate, ut ibi annotatur, præterquam in triduo majoris hebdomadæ ante Pascha.

II. Dicuntur autem extra Chorum tantùm in fine Completorii, & in fine Matutini, dictis Laudibus, si tunc terminandum sit Officium; alioquin si alia subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ. In Choro autem semper dicuntur, quodcumque terminatâ aliquâ Horâ discedendum est à Choro.

III. Nunquam verò dicuntur post aliquam Ho-

ram,

ram, quando subsequitur cum Officio diei Officium Defunctorum, vel septem Psalmi Pœnitentiales, aut Litanîæ, præterquam post Completorium, in quo semper dicuntur, etiamsi prædicta subsequantur: neque etiam dicuntur, quando post aliquam Horam immediatè subsequitur Missa. Dicuntur autem flexis genibus (præterquam in diebus Dominicis, à primis Vesperis Sabbati, & toto tempore Paschali) Hebdomadario tamen ad Orationem stante.

TITULUS XXXVII.

DE OFFICIO PARVO B. MARIE
& alijs.

I. **D**E Officio parvo B. MARIE, de Officio Defunctorum, de septem Psalmis pœnitentialibus & Litanijs, & de Psalmis Gradualibus, quando & quomodo tam in Choro, quàm extra Chorum dicenda sint, habentur suis locis propriæ Rubricæ circa finem Breviarij.

II. Tempore Paschali in Officio parvo B. MARIE, quod dicitur in Choro, non additur *Alleluja* Antiphonis, neque Versibus, neque Responsorijs.

TITULUS XXXVIII.

DE TABELLIS OCCURRENTIÆ ET
CONCURRENTIÆ.

I. **E**Xcogitatæ sunt hæ Tabellæ eo potissimùm sine, ut citiùs & faciliùs inveniatur, quid in occurſu & concursu circa dispositionem & ordinationem Officij sit observandum; neque laboriosè ad ipsas semper Rubricas perlegendas sit recurrendum. Ut autem hunc finem Lector obtineat, tria